

aliquid conferre posse; (1.) ut causam principalem, quæ ex mente *Suarezii disp. 17 §. 2. n. 17. & Antonii Ruvionis Rodensis. 2. phys. c. 7. tr. 4* virtute non ignobiliori influit in effectum, quam ad ipsum producendum requiritur, quomodo is qui cogitur, nec agit, nec ad actum aliquid confert. [2.] Ut causam instrumentalem; quæ virtute ignobiliori influit in effectum, quam ad ipsum producendum requiritur, & quæ causa principalis in agendo utitur. Quomodo ad actum aliquid conferre possit is, qui cogitur, extra dubitationem positum est. E. g. Titius arreptâ manu Sempronii alteri impingit alapam. Hic Sempronius, qui violento modo agit, vel manus ejus, nihil confert ad actionem principaliter, sed tantum per modum causæ instrumentalis; & consequenter violenter agere dicitur, utut tanquam causa instrumentalis aliquid conferat ad actionem.

§. V.

Ex his jam videmus, quod ea, quæ ex voluptate peraguntur, minime dici possint violenta, utut eorum principium videatur esse extrinsecum & satis validum, siquidem eorum, quæ propter voluptatem geruntur, principia sunt externa objecta, & ita interdum movent sensus & alliciunt appetitum, ut vix iis possit resisti. Nam si hæc jucunda essent violenta & voluptas cogeret homines ad suscipiendas actiones, omnes ferè actiones essent violentæ, quod absurdum; absurdum ergo erit etiam ipsum antecedens. Consequentia inde stabiliri posse videtur, quia homines nullam actionem suscipiunt, cui non aliquid jucunditatis inesse existiment, aut postea per eam consecuturos. *Accedit & hoc*, quod ea, ad quæ natura nostra ultrò & suâ sponte fertur, non sint violenta; sed ad ea, quæ jucunda sunt, natura nostra ultrò & suâ sponte fertur; ergo jucunda non sunt violenta. Et licet vel maximè principium sit extrinsecum, tamen hoc non sufficit, ut actio sit violenta, ast reliqua quoque enumerata requisita sunt conjungenda, quod scilicet principium non tantum sit extrinsecum, sed etiam satis validum, ut ipsi plane non possit resisti & præterea etiam agens non consentiat, sitque contra ipsius voluntatis inclinationem; quæ duo